

stellae sunt septem Angeli, seu Episcopi Asiae, ut dicitur vers. ultimo huius capituli: Candelabra autem, etiam Praelatos denotant: nam quamvis eodem ultimo versu dicatur: Septem Candelabra, septem Ecclesiae sunt; Ecclesia ibi sumitur pro suo Praelato, ut habent Richardus, Primitas, ut dixi supra Exposit. 7. Praelatus idem est, ac sua Ecclesia.

Richard.

545.

Stellae, & candelabra significant Episcopos, & Praelatos: quid est, quod Episcopi ac Praelati, prout sunt stellae, apparent in manu dextera: prout candelabra humi, ac ad pedes? si eadem in utroque est significatio, cur tam dispant, ac diversus situs? Magnum, ac latum est discrimen inter lumen, splendorem stellae, ac candelabri stella fulget, & nitet, sine alicujus ope, vel expensis: nihil enim ad suam lucem infumit: at verò candelabrum, ut fulgeat, multiplici indiget sumptu, ligno, ut ardeat; oleo, vel cera, ut absumatur. Praelatus, ac Princeps, in manu Dei stella est splendens, sic ut lucem ferat ditionem suam illustret, nulli inferat damnum: nulliusque expensas requirit; & subditorum bonis non indiget, sed à se habet regia majestas, quo omnia luret, & illustret: si autem ad sui nitorem aliorum operam, & oleum perdit, & suoque multo gravamine vexat eorumque bona consumit: illius splendor, candelabri est, non stellae; & tantum à superna celsitudine dilabitur, ut humi, ac ad pedes projectus jaceat; tantum à suo apice cecidit.

546. D. Nazianz.

Huc transfero elegantissima verba D. Gregor. Nazianz oration 27. qui ad Reges sic loquitur: *Universus orbis manus vestrae subiectus est, diadema parvo, atque exiguo panno retentus subditis vestris Deos vos praebet: licet enim audiamus aliquid dicere: Cor regis in manu Dei est, ut ex scriptura audivimus, ac credimus. Hic imperium vestrum sit; non autem in auro, aut exercitibus. Singula aurea verba sunt expendenda. Totus orbis vobis subiectus est: Diadema parvo, & exiguo panno retentus ita tamen, ut amplitudo majestatis vestrae coarctanda sit, & in angusto sive tanquam exiguo panno cogenda; nec subditi vobis ambitiosam majestatem evacuentur: Subditis vestris Deos vos praebet. Tunc superior deum imitatur: si subditorum bonis non indiget, sed illis multa bona sua elargiatur. Hinc Psalmista deum suum cognovit: Dixit Domino, Deus meus estis, quoniam am honorum meorum non egest. Psalm. 13. num. 1. Hic est optimus de deo ordo, quod nullius egeat, & omnibus benefaciat. Licet nos, audacius aliquid dicere: Cor Regis in manu Dei est, ut ex Scriptura audivimus. Sed quae licentia, quae audacia in hoc, cum nihil sit magis vulgare, quam reges à deo gubernari? Aliquid valde singulare hinc nobis tradit Nazianzen dei manus, principum schola est: dei manu omnibus bona largiuntur, & non aliquid ab aliquo accipiunt: his ergo docentur Principes, ut similiter se habeant. Hic imperium vestrum sit; non autem in auro, aut exercitibus. Quod nullius bonis molestia inferatur; nulliusque concupiscatur substantia; hac sit nota generosa vestri imperii, non autem in auro & exercitibus.*

Superiores subditorum bonis non indigent, sed omnibus benefaciant.

Psalm. 13.

547.

Regni auspicia habuit Salomon juxta fontem Siloe, quierat in Gihon: Adduxerunt eum, scilicet Salomonem, in Gihon, sumisque Sadoe

Sacerdos Cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem; Reg. 1. n. 38. Aliter Israelites Abimelech, Regem creaverunt juxta arborem: Abierunt, & constituerunt Regem Abimelech juxta quercum, quae stabat in Sichem. Judic. 9. num. 6. Magno mysterio factum est, ut Salomon, datus à Deo Rex juxta fontem regni coronam acciperet, & Abimelech ab hominibus electus, juxta arborem. Agnosce discrimen inter fontem, & arborem: & inde deprehendes magnam differentiam inter Regem, qui datus est à deo, & designatus ab hominibus: Arbor, ut crescat, frondositate vegetet, nanciscatur feracitatem fructuam, opimitate redundet, ope hortulani indiget, ac humore aquae quem exigit: ut fructus omnibus patens, cuncta irrigat, & fecundat sine ullius ope, ac sumptu Salomon, utpote Rex designatus à deo, tanquam fons sine ullius ope, in cunctos aquam multorum bonorum diffundebat: At Abimelech, ut ab hominibus assumptus, omnia aliorum bona absumebat eorumque humorem exugebat, & cuncta depopulabatur. Quod ei aperuit Joatham parabola de regno arborum, ibidem Jud. 9. n. 8. Unde D. Isidor Pelusioti regnum à tyrannide distinguit ibi 3. epist. 194. Virtus, ait, palmam obtinet, cum regnum Rex exornat & moderatur. Tyrannis enim ad suam; Rex autem ad subditorum utilitatem omnia refert.

QUESTIO LXIV.

Quare hujusmodi stellae non tenentur à Christo, in manu sinistra, sed in manu dextera?

Ad quaestionem respondet primò Richardus: *In manu, id est, in potestate Christi, hujusmodi Angeli dicuntur esse, ut ipso cooperante, Ecclesiae sibi commissas dignè possint gubernare. In manu dextera habentur hujusmodi stellae, seu Angeli: haec enim fortior, & valentior reputatur; quam sinistra: ac proinde per illam eorum actiones dei denotantur, quae magis vim, & potentiam declarant: & inde est illud Psalm. 117. num. 16. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exalta est me. Recte ergo hujusmodi stellae, quae sunt Angeli Ecclesiarum Asiae, apparent in manu Christi dextera, ut fiat cunctis evidens, quod deus in defensione, ac protectione Praelatorum suae Ecclesiae, multam suam demonstrat potentiam, & praeter ceteris ab ipso deo protegentur, conservantur, ac foventur: quo tanto auxilio ipsi animati sine formidine, munus sibi injunctum debite exercent.*

Richard.

549. Aretas.

Secundò, Aretas: *Stellas vocat hos Angelos, propter lucis abundantiam, quae in ipsos Christus diffundit, & eosdem dextera manus suae nactus esse dicit, ut potè in dignissimo requiescentes ordine. Per dexteram multam bonorum abundantiam d. notat: inde stellae, seu Praelati in dei dextera constituuntur: quia deus abundanter Ecclesiae Praelatis providet in necessariis: Ut pote in dignissimo requiescentes ordine. In dextera dei collocantur, quia in digniori, ac excellentiori gradu constituti sunt. Et inde Praelatos rectoribus*

Praelati Ecclesiae, est digni, & rectoribus

rectoribus dignior, ac illustrior apud nos comperitur locus: Et nota quod multi ex his Episcopis, laborabant multis defectibus: & tamen habentur in manu dextera Dei; quia Praelati, quavis indigni, in multo honore sunt habendi.

550. Rupert.

Tertio, Rupertus: *Dicens, qui tenet septem stellas in dextera sua: simul terribiliter innuit, ut qui se existimas stare, videat, ne cadat: non enim stas in virtute, sed dextera Domini continente. Stant septem stellae in manu Dei nitentes, ac fulgorantes, nec alibi habent tantum splendorem, nisi in Dei dextera: ut inde fiat manifestum, quod qui stas, & resplendet in Ecclesia dei, hoc non sit virtute sua, sed dextera Dei auxiliante, ac protegente, à quo est illi omnè bonum.*

Non sua, sed Dei virtute stas, & lucet homo.

551. Anton Paduan.

Quarto, D. Anton. Paduan. fragm. in Apoc. *Has stellas debet habere dextera, us quae aqua coagitat, & quidquid operatur, totum sit à deo. Stellae, seu Praelati non habentur in sinistra sed in dextera: dextera significat opus rectum, & cum debita intentione factum; & ut à suo loco, & situ distent Praelati, quod quidquid operantur, rectum sit, & cum bona intentione factum: quod docet D. Anton. 1. p. histor. cit. 6. c. 1. §. 2. Haec habentur in manu operis, non solum in habitatione mentis; & dextera manu, id est, ex intentione bonae actionis, secundum illud, Matth. 6. n. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, id est, se non invidet sinistra intentioni, favor popularis, & hujusmodi, in operibus bonis. Similia habet Cardinalis Hugo.*

Rex non d. se sed de suis agit, & contra Tyrannus.

552. D. Anton.

Quinto, Hujusmodi stellae, sunt Angeli, seu Episcopi Ecclesiarum, & sunt in dextera Christi; cum tamen dicatur Proverb. 3. n. 16. *In sinistra eius divitiae, & gloria. Per has divitias, & gloriam, dona spiritualia gratiae, & virtutum interpretantur D. Hieron. tract. in fine ejus operum, si illius est; ita Carthusian Hugo, Janfen. Salazar. Cornel. & alii, nam hujusmodi dona, sunt magna divitiae in thesauro Sapientiae: sed valde mirum est, (formaliter rem explicio) quod hujusmodi spiritualia dona, quae sunt estimationis magna in sinistra appareant; & Ecclesiae, ac Ecclesiarum Pastores in dextera. dona illa spiritualia, accepta sunt à Patre, sine ullo sudore, tanquam connexa cum unione hypostatica: at Ecclesiae, Ecclesiarumque Pastores acquisivunt: huius sanguine suo: cui negotio manus ejus magno labore incubere: sustulerunt enim plagas, clavos, catenas, funes; cum ergo Ecclesiae, ac Ecclesiarum pastores, tanto sudore, tantoque labore fuissent comparati, inde apertum est, quod in majori estimatione, ac pretio haberentur à manibus, & in eminentiori, ac praestantiori loco eminent. Ait Titus Bostrenf. in cap. 11. Luc. *Qua cura sudorem obtingunt, vel ex parato subministrantur, certè minus in plerumque fiunt. Multa de hac re dixi tomis in Evang. verb. Meritum**

553. Proverb.

D. Hieron. Carth. Hugo. Janfen. Salazar. Cornel.

Acquisita diffiliora possessione magis estimabilia

554. Bostrenf.

555. In hac vita puniri & magna Dei pietas.

Ezech. 16.

quietam, nec irascar amplius: Hoc ei minatur deus, tanquam omnium peccatorum maximum. Bernard. ad haec verba serm. 42. in Cantico Solo, ait, *auditu contremisco, si e zelus deseruit, & amor, nec erit amore dignus, qui indignus castigatione censuris: tunc magis irascitur deus, cum non irascitur.*

D. Bern.

554.

Septimo, Stellae tenet Christus in manu dextera & non in sinistra. Cur manus dextera radiis stellarum fulget, non verò sinistra, Christus hic agebat personam judicis sententiam prolaturus in causis Episcoporum Asiae: sola dextera erat scriptura sententiam: merito ergo tantis stellarum radiis resplendet ut sit omnibus apertum: quod manus tanti judicis, non muneribus, sed ceteris luminibus replebatur: ac proinde nihil intervenire poterat, quod justitiam perturbaret. Discant iudices, ut manus habeant plenas scientia, & luce, non verò muneribus.

Judicis manus aliena sit à muneribus.

555. de homine justo ait Isaias 33. num. 17. Qui excussit manum suam ab omni munere. Cum ait, ab omni, nullum excludit, etiam si parvi, & levis momenti videatur esse: parvum etiam manusculum, quemlibet ad se trahit. Petrus Blesens. serm. 45. *Pauci inveniuntur, ait, quos odor munerum non inclinet: sed beatus, qui excussit manum suam ab omni munere. Expende illud, Odor munerum. Accepti pomi odor, maxime judicem afficit desiderio placendi muneratori suo. Ait Reg. Vates Psal. 25. n. 10. In quorum manibus iniquitates sunt, & aera eorum repleta est muneribus. Cum dextera iudicis ad munera extenditur. Statim in manus omni malo impellitur ad sententiam scribendam; cum dextera eorum impleta est munere, bene, & optime, in quorum manibus iniquitates sunt Blesens. Epist. 10. Peremptorium est in Principe, vel aera odorare munerum, vel favorem querere personarum; teste Propheta: In quorum manibus iniquitates sunt.*

Blesens.

Judicis manus ad sententiam scribendam cavet à muneribus. Psal. 25.

Blesens.

556. Octavo Septem stellas tenet in manu: Personam judicis hic agebat Christus. D. ut dixi sexta, & septima ratione, & septem radiantes stellas tenet in manu dextera, qui finale sententiam erat scripturus: inde ejus dextera tantis stellarum radiis repletur, ac si non semel sed septies, ac multis vicibus sententia profertenda, intellectualibus radiis sit confidenda, ac examinanda: non quia Christum aliquid lateat qui omnia habet in promptu, & manifeste: sed ut cunctis daret documentum quod nullus audeat sententiam promulgare, nisi maxima ratione causa sit praeparata, & suffice eam examine discussa.

Judex ante sententiam rem consideret, & examine.

557. Cum Rex Baltasar jucundaretur grandi, & prophano convivio, manus hostinis sceleris in pariete apparet, Daniel. 5. num. 5. & manus sententiam capitalem scribebat in Regem, hoc ordine: *Numeravit deus regnum tuum, & denique scribebat: Appensus es in statera. Et tandem tertio: Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Ecce finalis sententia Praepondera optima judicis rectum ordinem. Prius manus exaravit: Numeravit deus regnum tuum. Recenset iudex x annos, & dies, quibus Judaeum Chaldaeus tyrannice opprimerat: deinde sua Regem trutinam ponderat, & expendit quantum peccatorum meruerit. Appensus es in statera hominum iudex, hominum causas non*

Dan. 5.

H 3 non

Deus cum statera, & examine procedit. D. Chryl.

non iudicat, nisi cum bilancibus, & calculis; ut recte notavit Chrysolom. citato Daniel. Text. in Psalm 95. Declaravit Deus, omnia cum numero, & mensura facere. Cum punit, utruina librat ultionem; pro delictorum modo, vicem re- pendens, ne maior, sed congruus sit commissis. Cruditatis diebus, & annis numeratis; calculis, & bilancibus causa appensa; tandem Deus profert sententiam: Divisum est regnum tuum, &c.

QUESTIO LXV.

Quare Evangelista cum describeret singillatim omnia, quae Christi erant, solius sinistrae mentionem non facit?

558. Ratio diffinitivae.

Multa ponderatione dignum est, quod Joannes scribar, Christi dexteram stellis ornatam, tanquam ad praemia gloriae conferenda; & de sinistra nil referat; quod sane multum mysterium involvit: nam Evangelista satis minutim descripsit omnem Christi habitum, ac figuram; capillos depinxit candidos, instar lanae mundae; oculos, tanquam flammam ignis; totumque simile filio hominis: meminuit vestitum pedere: praecinctam ad mammas zonam auream; faciem micantem, ut solem in suo fervore: vocem, tanquam aquarum multarum: os gladium accipitem emittens; pedes aurichalco similes in camino ardenti; & tamen solam sinistram tacet: magnum hic est sacramentum.

559. Qui vacuus est a suo nomine, tacet.

Respondeo, primò. Gladius, qui ex ore prodibat tanquam e vagina, ejus proprius, & ianatus locus est ad sinistram, ad quam ex communi usu spectat omisit ergo Joannes manum laevam, tanquam ab ense vacuum, qui sinistrae ornamentum est, ac verò dextera, cum tantis stel is splen laceret ad munus largitionem, ideo hanc tanquam maximè exornatam, commemorat: illam verò vacuum a suo debito munere tacet Confirmatur. Quia Proverb. 3. n. 6. dicitur: Longitudo dierum in dextera ejus; & in sinistra illius divitiae, & gloria. Dextera, & sinistra commemorantur, quia utraque erat insignita in suo ornamento; At verò hic, cum pars laeva careret suo ornamento, quod est ensis, qui tanquam e vagina procedebat ab ore, ex multo mysterio, ut scitum dicam; ideo illa praetermittitur, ac tacetur.

560. hugo.

Secundò. Hanc rationem colligo ex Cardinali Hugone. Hic ait, scilicet, Praelati, dicuntur esse in dextera Domini, ut omnia faciant pro bonis dexterae, non pro bonis sinistrae, id est, pro aeternis non pro terrenis divitiis. Christus D hic agebat personam Summi Pontificis, dans normam omnibus Praelatis, qualiter se debeant habere in suis actionibus; ideo solum eis ostendit dexteram, & non sinistram: quia Praelati solum agant, cogitent & operentur, quae dextera, ac recta sunt: fugiant, & avertant oculos a sinistris, & quae temporalia sunt. Divinus Sponsus Cantic. 4. n. 9. se vulneratum dicebat a sua dilecta. in uno oculorum tuorum. Seu ut legunt Graeci, in uno ex oculis tuis. Ab uno oculo

Cantic. 4. Graecus.

tantum, sed dicit irretitum, sponsus: sed quis ille, dexter, an sinister? Dexterum sensit. D. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. Habes & sinistram oculum, quem tibi dedi, propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non possunt: sed magis mihi dexter oculus placet. Si tamen fides danda est Nysseno, unum tantum oculum sponsam fuisse sortitam, hinc elicit hom. 8. in Cant. In uno ex oculis tuis, inquit, propterea quod unum tantum habes oculum, cum caca sit in aliis universis, quae praeter Deum sunt.

D. Hieron.

D. Nyssen.

Tertiò. Juxta D Bernard. citandum: Dexter significat misericordiam, ac cœlestis regni collationem: sinistra verò justitiam, ac supplicium Hinc D. Rex in finali judicio justos, ac electos ad gloriam constituet ad dexteram: reprobos, ac damnatos, ac sinistram. Matth. 25. num. 33. Ideo in praesenti Christus dexteram stellis fulgentem ostendit: sinistram verò occultat, & abscondit; quia Christus D. maximè gloriatur de sua misericordia, & hanc vult manifestare, ac in omnium oculis declarare: rigorem verò justitiæ occultare, & abscondere.

561. Deus suam misericordiam ostendit punitorem abscondit.

Ardenti amore sui dilecti tenebatur sponsa, & inde dicebat: Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cantic. 2. n. 5. Valde diverso situ sponsa dilecti sui manus accommodare desiderat: dexteram super pectus, cor, ac brachia, ad amplexum exoptat: sinistram sub capite occultat: Lava ejus sub capite meo. Seu ut legit Vatabl. sinistra ipsius supponatur meo capiti. Differentiam colligo ex D. Bernardo serm 51. Ergo, quia per dexteram, & sinistram, adversa solent, & prospera designari: videtur mihi hoc loco intelligi posse, laevam quidem Verbi comminationem supplicii, dexteram verò regni promissionem. Quod idem est, ac dicitur: sinistra, supplicia & poenas designat; dextera verò misericordiam, ac regni promissionem indicat. Hinc sponsa sui dilecti ingenio bene instructa, laevam sponsi sub capite suo vult abscondi: nam cum hac sit manu: illius, quae punit aequantulum, nostro dicendi modo, praevi sui amoris verecundatur, & ideo occultatam, ac tectam habere affectat. At dexteram, per quam dona ac beneficia largitur, patenter ac manifeste super pectus, brachia, ac cor amantissimo amplexu tenere se gloriatur.

562. Cant. 2.

Varablus. D. Bern.

Sponsus dexteram beneficentem ostendit, sinistram punitorem abscondit.

563. Gen 3.

Callidissimus, serpens mulierem est aggressus & eum persuasit: tunc mulier tunc de fructu illius, & comedit: dedique viro suo, qui comedit & aperit sunt oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos. Genes. 3. n. 6. Ecce ibi: quam singillatim hominum calamitas, ac peccatum refertur: at, qui tam multus fuit in recensenda hominum calamitate, Canonicus Historiatur, Angelorum ruinam profus tacuit: Nullibi Moyses dixit verbum de Angelorum peccato; imò quale illud fuerit, quo ordine, & modò perpetratum, nec in Moysè, nec in sacra Pagina aperte invenies narratum, nisi in Isaia, & ad sensus allegoricos recurrere velis: cur ergo cavet Deus ne historia Angelicæ calamitatis narraretur, quando tam multus est in enarranda humana calamitate; Meritò quidem humanus lapsus tam singillatim praedicitur, ut potè qui Deum redemptorem habuit & magna ejus misericordia curatus est; ac calamitas Angelorum, justitia exigente, sine remedio fuit, ideo

Misericordia opus late narratur.

sub

D. August.

sub silentio clauditur Cum misericordia intervenit, aperta, & lata est descriptio, si verò severitas punitiois inducitur, alta sub taciturnitate tegitur D. August. lib. 1. de mirabil. Sacrae Scripturae, cap. 2. Angelicum vulnus, verus medicus, qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinavit, & qualiter sit ejectionis per sententiam vindicta, quem per penitentiam nullo modo revocavit. Peccatum verò hominis, quomodo factum fuerit, profertur: ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur. Et qualiter ejectionis sit homo, indicare Deus maluit, quem ad statum pristinum, in novissima iterum revocavit.

QUESTIO LXVI.

Quare postquam Joannes narravit manum Christi cum septem stellis, ad os ejus cum gladio convertit sermonem?

564.

Immediatè antè de manu Christi cum septem stellis agit Joannes: Habebat in dextera sua septem stellas, nunc ad Christi os dirigit sermonem: Et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat. Quid est, quod manus, & os ita conjungantur, ut inter utrumque nil medium interveniat? Quia verba operibus: vox vita, lingua manibus adjungenda sunt. Ostenditur Ezechielii reedificatio Jerusalem cum structura mentarum ad sacrificium & dicitur, Labia ea unius palmi. Cap. 40. n. 43. Magno mysterio labia cum palmo, lingua cum manu copulantur, ut significetur, Magistri verba eum factis, documenta cum exemplis conjungenda. D. Gregor. homil. 21. in Ezech. sic ait, Doctor, quod docendo loquitur, hoc regulariter operetur. Verbis ergo suis semetipsum convenia: ubi itaque se conspicit opere implere, quod dicit, ubi auditores admoneat, eorumque animos ad studium bonae operationis.

D. Greg.

565. Prius sit operari, quam dicere.

D. Chryl. Genes. 1.

566.

Isai. 40.

Ordo servandus in debita correctione.

Secundò. Prius Joannes manum Christi describit, deinde os eius commemorat, in corpore humano prius est os, quam manus. Cur ergo Joanni prius objicitur videnda manus, quam os ex quo gladius prodibat? Manus opera significat; inde merito, prius manus, quam os Christi videtur, quia prius in eo fuit facere, quam docere, prout debet esse in quolibet doctore, ac Praelato. Quod late probat Divus Chrysol. homil. 14. in Matth. Nam Deus dicitur: Fiat lux, fiat firmamentum. Genes. 1. n. 3. & 6. prius de eo scribitur: Creavit calum, & terram. In prima facie sunt opera manuum ejus deinde verba, quae protulit. Ut opera praecipis, exempla documentis praerent.

Tertiò. Primò audita est vox lenis, tanquam aquarum multarum affluentium deinde septem stellae nitentes apparent in manu, & ut timo loco gladius ex ore ejus prodians cernitur; quoniam tam mirabilis rerum dispositio? Ut prius sit lenitas in voce, deinde larga beneficentia septem stellarum, seu donorum gratia; & tandem gladio districto armatum se exhibet. Veniebat Christus ad arguendos, ac reprehendendos Episcopos Asiae, & suo gestu: ac figura omnes Antistites informat, qualiter in correptione, ac admonitione fraterna se debeant ha-

bere, Prius sit vox lenis, & suavis admonitionis, tanquam aquae labentis, qua animus alluciat, deinde proponantur stellae caelestium donorum, ac beneficiorum, quorum spe noster affectus maximè sollicitatur, & si haec non profunt, districto ense utantur, poena, ac flagello interposito, ut qui blandis verbis, ac magnis promissionibus non adducuntur, duro ac rigido supplicio trahantur, & ita poena semper infligenda ultimo loco appareat.

De Christo ait Regius vates Psalm. 44. num 3. Speciosus forma praefiliis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum. Accingere gladio tuo super femur tuum. Primò eum introducit benignum, ac gratiosum verbis: Diffusa est gratia in labiis tuis. Deinde valde beneficium, multis benedictionibus cumulatum, ut eis suos repleat: Benedixit te Deus in aeternum: id est, benedixit te, & in te, omnes: illud benedixit ad prolem, ac filios etiam adoptivos derivatur, ut multi apud Lorin. rium explicant: & tandem armatum gladio introducit, ad rebelles, ac protervos compe-scendos: Accingere gladio super femur tuum. Et hic est debitus ordo, ut post salutaria verba post multas benedictiones, tunc iracundus ac sanguinolentus, arma deferens prodeat. D. Paschal. ad citatum Psalm. Hinc quoque, ait, post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labiis, post benedictionem praecipiam aeterna hereditatis, imperatur a Patre, ut accingatur gladio sua fortitudinis, ad ultionem inimicorum, ad reprehensionem contradicentium, ad conservanda omnium rerum jura, & ut in pace sint omnia.

567. Psalm. 44.

Lorin.

Post monitum, ac beneficia, gladio utendum.

D. Paschal.

Quartò. Richard. de Sancto Victore eleganter ait: Qui per negligentiam Episcoporum, in Ecclesiis ipsis commissis, quadam vitia pulverant, postquam dixit, quod habebat septem stellas in dextera sua, ut hoc esset eis ad consolationem: statim addidit, quod gladius ex utraque parte acutus de ore ejus exibat, quod esset ad correptionem: ut illud conferret fiduciam de gratia, istud inueneret terrorem de negligentia: ut inde sumerent securitatem, ne desperarent; hinc cautelam, ut semetipsos emendarent. In hac mirabili visione introducit Christus D. habens stellas in manu gladium in ore: Veniebat Dominus, ut negligentias Episcoporum Asiae in munere eis commissis argueret, ac increparet. Tenet septem stellas in manu, ut fabricata corona ex eis suos muneraret; ut objecto tanto praemio, magnam spem ac consolationem conciperent: Ab ore ejus exiens gladius cernitur, infervens ad correptionem, ac timorem poenae si non respiciant, ac vivendi modum in melius reforment: Stellis ingerit spem, gladio timorem, ut cum spe ac timore, viventes cautos se habeant, ut timore poenas fugiant, spe ad praemia animantur: Ut illud conferret fiduciam de gratia, istud inueneret terrorem de negligentia.

568. Richard.

Homo sit cautus à malo, spe praemii, & timore poenae.

Ait Isaías 26. n. 18. Sicut quae concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua, Domine. Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum, Graeci Legunt: Per quem timorem tuum Domine in utero concepimus; & parturivimus spiritum salutis, quem fecimus super terram. Qui à facie Domini seu ab ejus gratia, ac auxilio concipiunt spiritum salutis, & renovantur in

569. Isai. 26.

Graeci.